



LECTORI BENEVOLO

S.



*H*unc libellum in publicum edo, quod existimavi fore, ut gratum habeas. Nimirum idem existimant scriptores omnes & oportet certe scriptiorem aliquo principio fieri. Itaque ineptus sim, si credam, spem benevolentiae etiam blandissimam non facile fallere posse. Ingeniosi sumus in benevolentiam iudicii de iudicio nostro. Quam auram amici afflant, ea flatu publico cito est absorpta. Adversus universitatem vero lectorum nec intercessio nec provocatio est. Sicut nec gratiam rogavisse iuvat, quod nisi quid commendationis ipse libellus prae se ferat,

):(3

rat,

P R A E F A T I O.

rat, incassum auctor rogat, ut detur aliquid
 amori hominis, qui in publicum nulla alia ar-
 gumenta benevolentiae suppeditat, quam ea, quae
 vel sunt communia omnibus hominibus, vel in-
 esse debent in ipso illo libello, in quem benevolen-
 tia expetitur. Praeterea Logicam scribere volui,
 disciplinam scilicet in populum mirifice jucun-
 dam. Iam videor mihi praecipere cogitatione
 magnificentiam praemii, quod erit vel celebritas
 nominis, quae & stultitia pari potest, vel singu-
 latim hoc, ut cujuscunque notae in numerum scri-
 ptorum Logicorum referar. Sane ut plurimum
 beatius vivitur fama integra angustiori, quam dif-
 fusiori, aperta ad incusum ejus malevolentiae
 multorum, adversus quam plerumque non tu-
 tius praesidium est, quam ignorantia & obscuri-
 tas. Vnam curiositatem potest, ut incusem,
 quae quidem velle non potuit se nescire, quo com-
 mentationes fructu aut commodo possint honesta-
 ri, quasi promotus in hoc negotio gradus revo-
 cabilis sit. Imitor vero consuetudinem sapientio-
 rum. Commentor in sinisteriorem casum conso-
 lationem tum poenitentiae meae, tum indigna-
 tionis aliorum. Quid est in uno tantillo libel-
 lo? Ejus memoria cito consenesceat: referatur
 in numerum sui similium: sensum indignitatis
 mul-

P R A E F A T I O .

multitudo auferet. Quod ad argumentum libelli
attinet: Animo quidem humano nihil vividius,
distinctius & ad permanentiorem memoriam in-
signius informatur, quam id, quod vel sub sen-
sus insignite cadit, vel ad ea, quae sub sensus
cadunt, aliqua ratione referri potest. Quare
ad ipsam adeo cognitionem rerum corporearum
absentium quam plurimum juvat, eas revocavisse
ad earum rerum, quae sensibus notiores sunt, si-
militudinem, eamque deinceps, ne puritati co-
gnitionis officiat, ademptionibus postliminio depu-
rare. Animus humanus, cum ipse à se cogno-
scendus est, mirum est, quam sit instar rerum
abstrusissimarum. Ratio quidem difficultatis ad
praeceptum redigitur, siquidem praecipitur id
quam minime cerni, per quod cernimus, &
aciem oculorum hebescere, cum se ipsam intue-
tur. Quemadmodum vero ipsa consolatio per-
strictae intelligentiae ad consortium & similitudi-
nem visus refertur, ita eadem haec, omnium
fere mortalium animis infixæ & Numini Sacro
ad significandas res intelligentiae usurpata simi-
litudinem rei opticae videtur esse unum illud simu-
lacrum analogiae, unde notionibus, res intelli-
gentiae repraesentantibus, in hac causa aliquid
commodi peti possit. Ea passim in hoc libello

P R A E F A T I O .

usis sum. Cujus vero rei sicut & ceteras compositionis rationes ipsa perlectio melius doceat, siquidem & conspectum opusculi praemittere malui, ut praeter cetera ordo quoque sub simpliciorum conspectum caderet.

Summa negotii commentationis meae cecidit initio in eam partem, quae nunc posterior facta est. Poteram eam edere solam: sed ipsa parvitas & quae fieri poterat, brevitatis operae facile inducebat, ut de meo modo ea quoque adjicerem, quae ad notiones solitarias referuntur. Aliquibus locis visum fuit comminisci vocabula technica, quae nova videri possint. Ea non ad studium aliquod stulte ambitiosum interpretaberis. Nam non dubito fore, ut videas, ea esse ex ipsa re & compage praeceptorum obtrusa. Quemadmodum vero omnis philosophia scientia felicitatis esse debet, excultior autem intelligentia est gravissimum illud & necessarium momentum ad inclinationes voluntatis & inde ad virtutem & pietatem; Deum precor, ut, si quid mea sunt, ea gratiosissime vertat in commodum dignius, quam quod sola contemplatione terminetur.